



# The Holy See

---

FRANCISCUS

**EPISTULA DATA**

**PETRO S.R.E. CARDINALI PAROLIN**

*Venerabili Fratri Nostro*

*PETRO S.R.E. Card. PAROLIN*

*Secretario Status*

Matris pulchrae dilectionis et sanctae spei (cfr *Eccli* 24, 18 [24]) curam et diligentiam filii Ecclesiae, qui Christi humanam redemptionem in sacramentorum signis annuntiamus fidenter, mirabile Dei opus, cuius mirando consilio e virgineo thalamo Sponsus processit Ecclesiae, continuemus et producamus in eiusdem materna cura et diligenti voluntate, ut omnes homines ad agnitionem veritatis perveniant (cf *1 Tim* 2, 4), in eius vigilantia parvorum et egenorum et infirmorum, in perpetuo eius studio pacis concordiaeque ordinum confirmandae, in perseveranti industria et navitate (cfr s. Paulus VI, *Marialis cultus*, 28).

Quo sustentati redemptionis pignore, in universae Ecclesiae necessitatum studium incumbentes, valde laetamur de IX centesima occurrente memoria a fundatione Abbatiae Sanctae Mariae Montis Virginis. Tantam proinde recolentes occasionem, dilecti Filii Richardi Lucae Guariglia, O.S.B., eiusdem Abbatis Ordinarii, humanissimae petitioni libenter concedere volumus, qui enixe postulavit, ut Missarum sollemnia honori sibi ducere possint praesentiam ac verbum alicuius Eminentissimi Viri, qui Nostras vices ibi gerat Nostramque erga conventam communitatem manifestet dilectionem.

Ad Te ergo, Venerabilis Frater Noster, munus Secretarii Status studiose exercentem, mentem Nostram convertimus, qui praecipuas necessitudines ita hac cum celebri abbazia profiteris, ut hodie peraptus videaris, qui, Nostras vices ibi gerens, erga dilectissimam istam monachorum communitatem proximitatem Nostram manifestes, praesentia ac verbo Tuo initia huius anni iubilare exornans. Te, proinde, ad hanc legationem obeundam elegimus et, hisce Litteris, LEGATUM NOSTRUM nominamus ad Missam proximo die XXVIII mensis Maii celebraturam, sollemnitate Pentecostes, ineunte Anno Iubilari Abbatiae Sanctae Mariae Montis Virginis in IX

centesima memoria ab eiusdem fundatione.

Libenter Tibi potestatem facimus, dum insigni eidem occasioni intereris, illum monachorum coetum, publicas auctoritates atque universos christifideles Nostro nomine salutandi ac benedicendi, quos cohorteris, ut opportunitatem fidelibus praebeat proficiendi in divina gratia pietas in Christi Matrem, quae hominibus hodiernis, qui haud raro inter angorem et spem iactantur, qui ob conscientiam exiguitatis suae se abiciunt et infinitis percelluntur appetitionibus, qui animum perturbatum, cor divisum mentemque incertam gerunt, qui solitudine oppressi fastidio ac taedio plene afficiuntur, serenum praebet prospectum, spondens spem de angore triumphaturam, communionem de solitudine, pacem de perturbatione, laetitiam et pulchritudinem de fastidio ac taedio, vitam de morte. Simul, insuper, gravissimum Nostrum ministerium Petrinum precibus committimus universo Coetui ibi congregato.

Dum Tibi, Venerabilis Frater Noster, Benedictionem impertimur omnibus, qui celebrationi aderunt, transmittendam, legationem Tuam ardentibus precibus comitamur, a Deo misericordiae suppliciter obsecrantes, ut de huius Anni Iubilare festivitate multiplices fructus carpant fideles.

*Datum Romae, Laterani, die XI mensis Maii, anno Domini MMXXIII, Pontificatus Nostri undecimo.*

FRANCISCUS